



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 7. Virtus exercitiò sit facilis. Fig. Symb. Ex Vet. &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

cunq̄ue icrit, sequitur; qui non solâ Virginitate ejus vestigia, sed per omnes quoque virtutum semitas, imitatur. B. Petrus Dam. f. 2. de nat. Virg.

Ex Patribus.

Connexæ sibi sunt, concatenatæque, virtutes: ut, qui unam habet, plures habere videatur. S. Ambros. l. 7. in Luc.

Ethica est, quæ sui curam gerens, cunctis sese erigit, exornat, augētque, virtutibus: nihil in vita admittens, quod non gaudeat; nihil faciens poenitendum. S. Richardus à S. Vict. tr. Exposit. l. 1. c. 13.

Senectam unus crinis non facit. S. Gregor. Naz. in Jambico.

Curandum, nè bona nostra pauca sint, nè indiscussa: nè, aut pauca agentes, inveniamur steriles; aut indiscussa relinquentes, vecordes. Neque enim unaquæque verè virtus est, si mixta alijs virtutibus non est. S. Gregor. mor. l. 1. c. 20.

Una virtus sine alterâ, aut omnino nulla est, aut minima: si enim aut castitatem humilitas deserat, vel humilitatem castitas derelinquit; cum Deus detestetur tam superbiam, quam immunditiam; quod modò oculis ejus accepta erit castitas elata, vel humilitas immunda? Idem in Pf. poenit. Pf. 3.

Virtutes, si separate fuerint, dilabuntur: æquitas sine bonitate sævitia est; & justitia sine pietate crudelitas. S. Chrysol. l. 145.

Quid faciemus ut salvemur? aggrediamur virtutem, cum tempus habemus: distribuamus virtutes nobis, sicut sibi distribuunt agriculturam agricolæ: in hoc mense vincamus detractiones, injurias - & dicamus: hodie ab hoc nos vitio corrigamus; in illo autem mense patientiam doceamus &c. & cum hanc virtutem in habitu perceperimus, ad aliam transeamus. S. Chrysol. hom. 24. in ep. ad Hebr.

§. VI.

Virtus ardua: cur? & quibus?

Ex Veteri, & Novo.

Iter pigrorum quasi sepes spinarum; via justorum absque offendiculo. Prov. 15. 19. Hebr. via pigri velut senticetum spinarum; & semita rectorum complanata. Aludit ad hortos sepibus spinarum obseptos. Sicut enim viator, qui vult fructibus horticorum gaudere; necesse est, ut sepes spinosus transeat: sic, qui vult fructibus virtutum frui, sepes tentationum, & difficultatum, perumpat. Genuinè sic explicatur: iter ad honestas virtutes pigris videtur durum nimis, arduum, impervium, quasi spinis septum: via autem justorum, qui strenuè progrediuntur in via justitiæ; absque offendiculo, facilis, & trita. Cornelius hic.

Hanc occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum, ut occupentur in ea. Eccl. 1. 13. Si autem & ipsa virtus cum labore per-

ficitur; & hoc item homini perutile est. Si enim, quòquò te veritas, & circa bonum, & circa malum, laborare oportet: consequitur verò malum punitio; bonum autem fructio, voluptasque ineffabilis: sine ullâ comparatione præoptandus est labor, & occupatio, circa bonum. Olympiodorus hic.

Dulce lumen, & delectabile est oculis, videre solem. Eccl. 11. 7. Et tamen oculos tenebris astuefactos offendit. Sic virtus, quæ jucunda est; molesta, & tædiola, est astuefacto in peccatis. Stella de contemptu &c. p. 2. c. 48.

Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? Cant. 7. 1. Chorus ad musicum, castra ad bellum pertinet. Utrumque subire debent, qui virtutem colit. Fieri enim non potest; ut, qui ad virtutis concentum aspirat, cum hostibus non pugnet, & difficile subeat certamen. Pinna Ethol.

Parate viam Domini. Luc. 3. 4. Ardua, & spinosa, & propter plurima impedimenta, res penè inaccessa, est virtus. S. Titus Boltr. hic.

Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus. Apoc. 6. 12. Hæc immutatio non in ipsis elementis facta est, sed in hominum timidorum imaginatione: firma terra ijs nutare videtur; id est, virtutem, quæ stabilis planè est, nutare credunt; & lucem virtutis tenebras putant. Prima Echol. 77.

Ex Patribus, & alijs.

Non proclive iter est, quò tenditur ad virtutes: sed ascenditur; & angustè, ac difficulter, ascenditur. Origen. hom. 7. in Exodum.

Non potest accidere, omnino non potest; ut, qui virtutem diligenter exequitur, nunquam plurimos acquirat inimicos. S. Chrysol. hom. 15. in Matth. 7.

In sudore vultus, consolationis, ac virtutis, vescimur pane; terrâ cordis, & corporis, vitiorum spinas, atque concupiscentiarum tribulos, germinante. S. Laurent. Just. in solennit. S. Joan. Evang.

Cum magna difficultate, facimus bona opera: nec scimus facere sine Magistrò; mala autem scimus sine magistrò facere. Rectè de nobis est, sicut de lapide, qui violenter ascendit; non à se, sed ab alio; licet per se naturaliter descendat, & cadat. S. Vinc. Ferr. ser. 4. post Pent.

Humanæ naturæ minùs probabilis est virtus; nec vitiorum potiri quisquam potest, qui non luctatus est. B. Theodorus Studita l. 28.

§. VII.

Virtus exercitiò fit facilis.

Figure, Symbola.

Ex Veteri, & Novo.

Abraham, Abraham; tolle filium tuum unigenitum &c. Gen. 22. 2. Guilielmus Pepinus

Pepinus querit, cur Deus vocem Abraham ingeminaret? Respondet: factum, ad excitandam voluntatem in effectum tam difficilis jussionis. Sed nunc quero: cur illum, iterato nomine etiam tunc appellavit, quando jam afferre manus filio volebat, & Deo obtemperare? *Abraham, Abraham, non extendas manum tuam super puerum.* v. 11. 12. Causa est; quod, ut illi arduum fuit, necem filio inferre, ideoque bis de nomine vocari debuit; sic, postquam degustavit, quantum boni illud tam heroicum opus complecteretur; sic illum abripuit obedientia, & incitatum filij immolandi desiderium; ut bis quoque vocare oporteret, quod intermitteret; sicut bis nominari debuit, ut inchoaret opus. Did. Nisf. f. 5. D. 5. Quadr. §. 5.

Forstian non erant sepulchra in Egypto; ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine. Ex. 14. 11. Ita dixit timore conterritus populus, dum mare occurrit. Terræ promissionis vicinis, non mare, & amaras aquas, sed Jordanis fluvium trajicere, necesse: nec timent; sed intrepidè undarum calcant profunda: *omnis populus per arenam alveum transibat.* Jos. 3. 17. Quò propitius virtuti accedimus, placidior, & jucundior nobis est. Magis laborat, qui à profectu magis diltat. Egressio amara, sed progressio jucunda. Naxera in Jos. 3. §. 36.

Transibis ad montem, atque succides tibi, atque purgabis ad habitandum spatia; & poteris ultra procedere. Jos. 17. 18. Mons sylvofus industriâ potest domari, ut commodus fiat habitati. Idem in Jos. 17. §. 30.

Quando petra fundebat mihi rivus olei. Job. 29. 6. S. Gregor. mor. l. 19. c. hic per petram intelligit virtutem: quæ dura pluribus, ut petra, videtur; sed decursu temporis dat oleum. Pinna in Eccl. 6. Ethol. 79.

Assument pennas sicut aquilæ; current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient. Il. 40. 31.

Jesus ductus est in desertum. Matth. 4. 1. Non sine mysterio Evangelij prædicationem aggressurus. Deinde abiit per satana. Matth. 12. 1. Tandem introivit in hortum. Joan. 18. 1. Ut significaret: eos, qui Evangelicam perfectionem aggrediuntur; à desertis, & incultis, locis ad uberes, & amœnos agros sensim pervenire. Hæc est, ea, quæ initio difficilia, & aspera, judicabant, amore augete, tanquam facillima subire. S. Ambros. l. 4. in Luc. videre, quibus itineribus ad paradysum reducamur. Nunc in deserto Christus est, agit hominem; instruit, informat, exercet, ungit oleo spiritali. Ubi videt robullioem, per facta, & fructuosa, traducit; postea in paradiso constituit tempore Passionis. Mendoza in 1. Reg. 14. Sect. 9.

Beati, qui esuriunt &c. Matth. 5. 6. Post luctum ponitur esuries. S. Ambr. l. 6. in Luc. ordinem prosequamur: peccatum depositum, temperavi mores, delicta deservi: esurie incipio, & sitire, justitiam.

Jugum meum suave est. Matth. 11. 30. Juvenci initio jugum detrectant, & ad ferendum vix adiguntur: assueti ultra colla supponunt. Sic, licet initio, velut taurus indomitus, pietatis jugum ejicias; tandem affuetus libenter trahes. Pinna Ethol. 79.

Et accipens calicem. Matth. 26. 27. Prius panem, postea calicem, consecravit. Theophylactus in Luc. 22. Primo datur panis, secundo calix: prior enim est in spiritualibus laboriosus actus, velut panis; non solum, quia in vultus sudore laboratur; sed etiam, dum comeditur, non est facilis ad glutendum. Deinde, post labores, sequitur exultatio divinæ gratiæ, quæ est calix. *Comedite, & inebriamini charissimi.* Sylveira hic.

Mulier, cum parit, tristitiam habet &c. Joan. 16. 21. Docet spernere ardua virtutis. Virtutem inchoans exercere: concipis expecta, & gaudebis. Pinna Ethol. 79.

Testimonia.

Ex Veteri, & Patribus.

Venite filij, audite me; timorem Domini docebo vos. Ps. 33. 12. Sicut discipuli initio vix terroribus, & flagellis, ad studium adiguntur; cum verò proficiunt, scientiæ dulcedine allecli, vix à studio avelli possunt: sic sensim virtutis tyrones cum delectatione eam exercent. Pinna Ethol. 79.

In opere ipsius exiguum laborabis, & cito edes de generationibus illius. Eccl. 6. 20. - *in novissimis enim invenies requiem in ea, & convertetur tibi in oblectationem.* v. 29. Studium pietatis consuetudine dulcescit. Idem ibidem.

Jesus tibi dicit: tolle crucem tuam, & veni, & sequere me. Matth. 16. 24. Et si talis fueris, ut semper Christum sequaris; quanto plus secutus fueris, tanto minus laborabis. Origen. apud Naxera in Josue c. 3. §. 36.

Harpæ vultum habent Virginum; unguis autem aduncos, & rapaces. Virtus sevetò, & gravi vultu: sed si familiariter accesseris, blandissimò admittit gremio; & brachiis charitatis constringit. Hildebertus ep. 59.

§. VIII

Virtus arduis crescit, adversarijs gaudet, lucet in terra.

Figuræ, Symbola.

Quanto opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur. Ex. 1. 12. Vides quam crescat adversis agitata virtus, quæ in prosperis languet, & marcescit. In Hebr. pro multiplicabantur, est *erumpebant*: sicut aqua, vel fluvius, quò magis arctatur, & concluditur; eò majori copiâ eluctatur aggeres, obicæque perfringit, & erumpit. Cornelius hic.

Virtutem quidam olim ita expressit: facem inverlam pinxit, quæ majores sese consumendo flammæ ejiciebat, majoremque lucem